

310

308

314

304

319

299

359

259

409

209

Ende

Anfang

299

cinetiis involutus in fretum projectus profundum petiit sibi ipsi
sepulchrum quaerens, de cuius morte non multus planetus fuit,
sed suae et nostrae liberationi congratulabamur.

Ut autem aspirabat dies, facto hortatorio clamore per classem
levaverunt anchoras, et soluta classe de portu cum quiete exivi-
mus et in altum mare venimus secundos exspectantes ventos.
Magno ergo conatu et ingenti galeotarum labore contra freti im-
petum tetendimus, sed nihil profecimus, et valde poenituit portum
Nium reliquisse; victi ibi a vento rejecti sumus in Cycladum in-
sulas et insulam Nixiam praeterivimus, quae importuosa est, si-
militer insulam Paron dimisimus, quae licet portum habeat, non
tamen tantae classis capacem. In hac insula, quae prius Minoia
dicebatur, dignitur candidissimum marmor, quod Parinum dicunt,
et Venetias ducitur. Nascitur etiam in ea Sardius lapis, qui est
marmore praestantior. In medio autem insularum rapidissimo cursu
contra aquilonis plagam processimus terga vertentes nostro tra-
miti et in portum eujusdam insulae ingressi naves stabilivimus.
Hunc portum nominabant Schefanum, et erat desertus, nullas
habens habitationes, satis tamen capax et securus.

Si navem ventis commisissemus, quam statim ad Pathmum
insulam proiecti fuissemus et expeditum iter habuissemus in pro-
vincias Minoris Asiae, in Cariam scilicet, in qua est Ephesus urbs,
in Lydiam, in qua est sedes antiqua regum, quam Pactoli unda
extulit in divitias torrentibus aureis, in qua Midas rex, qui a Baccho
impetraverat, ut quidquid tangeret, aurum fieret, mortuus projectus
fuit. Hic fluvius juxta civitatem Smyrnam decurrit ejusque agros
irrigat. Habuissemus etiam expeditum mare et ventum in Phry-
giam, in regionem Troadem, in qua est Ilium sive Troja, et Olym-
pus mons, non ille Macedonicus, sed alius, et urbs Nicaea, in
qua anno Domini 314 celebrata est magna synodus Nicaena, epis-
coporum 318 pro nationibus totius mundi clamantium; vivat Chri-
stus, sub Sylvestro papa et Constantino Magno imperatore.

Venissemus etiam levi navigatione in Pontum Bithyniae, in
qua est Nicomedia urbs, in qua beata Barbara virgo et martyr
nata et occisa fuit, et multi alii martyres. Est etiam ibi urbs
Chalcedon, in qua beata Euphemia martyrium pertulit, ejus cor-
pus miraculose in Rubinam Histriae venit, ut patet Fol. 203 A. B.,
In qua etiam anno Domini 454 sub Leone papa primo, Martiano

